



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 1. Quid est Status Religiosus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

TRACTATUS
CAPUT II.

De Statu & obligationibus Religiosorum.

Q. I. *Quid est Status Religiosus?*

Resp. **Q**uid est stabile vitæ institutum, ab Ecclesia approbatum, & tendens ad perfectionem Christianam per tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ. Ad ejus essentiam tria requiruntur. I. Tria illa vota, quæ substantialia vocantur, eaque perpetua de se & ex parte voventis: nam Religio est stabilis quædam forma vitæ perducens ad perfectionem charitatis per primaria Christi consilia, quibus remouentur præcipua impedimenta, & homo se suaque omnia consecrat Deo in perpetuum holocaustum. Non necesse est tamen, ut sint solemnia; nam qui in Societate Jesu vota simplicia emittunt, sunt verè Religiosi, ut definiit Gregor. XIII. Bulla *Ascendente Domino*. quia per vota simplicia potest fieri traditio irrevocabilis ex parte voventis in perpetuum Dei obsequium: quæ sufficit ut quis constituatur in statu Religioso; nam ad statum propriè dictum non requiritur immutabilitas omni modo, sed satis est quod religiosus se ipsum votorum vinculis liberare nequeat, ut patet in seruo, qui rectè dicitur esse in statu servitutis, quamvis possit à Domino manumitti. Hinc vota Religionis alia sunt simplicia, quæ fiunt sine solemnitate; alia solemnia,

nia, quæ fiunt cum certa solemnitate ab Ecclesia instituta. Quæ solemnitas juxta multos in eo consistit, ut vota emittantur sub certa regula à Sede Apostolica approbata, juxta ritum substantialem in eadem regula præscriptum, cum traditione & acceptatione ex utraque parte perpetuis, & viâ ordinaria indissolubilibus. 2. Approbatio Ecclesiæ, quia Ordo Religiosus est status supernaturalis distinctus à communi statu Christianorum, & sacra quædam communitas, in quâ debet esse spiritualis jurisdictio in utroque foro. Hæc reservata est Papæ in Conc. Later. & Lugdun. 3. Traditio facta Superiori ut Ministro Dei illam acceptantis, quâ vovens se totum Deo in Religione dedicat, & Religioni propter Deum tradit irrevocabiliter ex parte sua.

Q. 2. Quenam requiruntur ad valorem professionis Religiosæ?

Resp. Sequentia 1. Certa ætas, quæ ex Trid. sess. 25. c. 15. est annus 16. completus. 2. Ut non fiat nisi post annum integrum & continuum probationis, ibid. Dico *continuum*, ita ut si novitius vel die uno Religionem deseruerit, reversus debeat rursus integrum annum probationis conficere, ut validè profiteatur. Imò duarum horarum interruptione reddi novitiatum nullum resolvit S. Congregatio, teste Fagnan. ad cap. *ad nostram*. de regular. nam ex Canonistis dum in aliquo decreto requiri-